

99 7 254









ASSERTIONES.

De

BEATITVDI  
NE POLITICA,

ad quas

Sub præsidio.

M. EMANVELIS  
SCHREIBERI SPROTT.

Siles.

*Respondebit publicè in illustri Vitebergensi  
um Academia.*

ANDREAS MAYERVS

VIRVNENSIS.

*Fiet disputa:io in Collegio novo die 26. Octob:*



VVITEBERGÆ

Ex Officina Cratoniana. 18. Octob. 1593.





NOBILISSIMO,  
 CLARISSIMO ET CON-  
 SULTISSIMO VIRO MARTINO KRUM-  
 KRUGERO I. V. D. ET CAESARAE MAIEST.  
 à secretis Meccenati & consobrino  
 suo colendo.

S. P. D.

**M** Vnera muneribus tibi quae, VIR DOCTE, ferenda  
 Digna tuis & isthaec themata? parua nimis:  
 sume tamen sint parua licet; dum munera gemmis  
 Splendida fata negent, arte parata sero.

Andreas Mayerus  
 Respondens



452 F 99 254





SECTIONS  
De Beatitudine Politica.

I.

**D**ivus Apostolus Paulus verè dicit, Quod & gentibus lex DEI nota fuerit. Nam etsi non inficior à religione & honestis actionibus olim alienissimos inuentos fuisse & adhuc inueniri populos, qui nò tantum iuris naturalis præcepta corrigere, sed omnino tollere conati fuèrunt. Sine controuersia tamen est semper etiam honestis studijs & probis actionibus addictos homines terram vidisse.

2.

Hinc extra Ecclesiam tot sana virorum dicta leguntur, que non solum ad priuatam liberorum educationem, verum etiam ad reipublica & totius societatis humana conseruationem plurimum facere videntur. Quid enim saniores Poëta, quid Comitorum & Tragicorum scripta, quid Philosophorum quorundam libri dicunt? sanè que ad legis diuina particulam spectant, cum varijs coloribus virtutum ornamenta depingant, & vitiorum sordes varia arte detestentur.

3.

Vnde & Cicero grauiter de Socrate pronunciat. Hunc Philosophiam (per excellentiam absolutè hac voce vsus est, pro practica seu morali philosophia) de Cælo deuocasse, deuocatum in urbibus collocasse, in domos introduxisse, & de vita & moribus rebusq; bonis & malis querere coëgisse.

4.

Quare Christiani hominis fines nullo modo illos violare, certo credimus, qui virtutum politicarum præceptis ex gentium libris imbuuntur. Non enim hinc argui potest, quod sacrorum bibliorum textum negligant, sed manifestum sit quod illi eadem consona discant.

5.

Nam gentes non ex cerebri proprij viribus virtutum semina



mina procrearunt, seu ex luce in se imagine DEI, cuius etiam post lapsum vis quaedam vivitilla hausta tenuerunt. Quam ob causam non Ethnicorum, sed ipsius DEI doctrinam potius ab ipsis Ethnicis accipimus.

6.

Restat igitur, ut quid illud bonum summum sit, quod philosophia seu sana ratio observat, nobis inquirendo innotescat. Nam luce clarius est multa erronea in hominum animos invasisse, cum quilibet fere pro suo ingenio singulare quoddam sibi elegerit.

7.

Ac primum nemo ambigit hominem ad aliquem ultimum finem, qui reliquos omnes dignitate superat, & cui alij omnes subiecti sunt, aspirare. Nam si id non concederetur, inanis esset noster appetitus, cum omnia in infinitum progredierentur, & non in aliquo termino finirent.

8.

Quisnam autem ille sit, facile etiam dijudicari potest si scientiam reliquarum facultatum longe principem ac dominam ceterisq; imperantem noverimus, Politicam scilicet. Nam uti res est, ita & se finis habet. Finis itaq; τῶν πραγμάτων architectonicus erit, qui dicta scientia τέλει est.

9.

Ceterum quo nomine signetur, inter omnes fere convenit: Omnes enim & vulgus & eruditi, politicisq; homines illum appellant εὐδαιμονίαν, quandoquidem τὸ εὖ ζῆν ἢ τὸ εὖ πράττειν ταῦτ' ἐπιλαμβάνουσι τῆ εὐδαιμονείῃ.

10.

Attamen quae sit illius definitio, non uno ore omnes loquuntur. Tria enim sunt praecipua vitae genera, quorum quodlibet sibi peculiare excogitat, Primum, est illud, quod totum in persfruendis voluptatibus consumitur. Alterum est πολιτικὸν quod beatitatem in honore positam esse existimat. Tertium est οἰκονομικὸν quod in pecunia quaerenda studio perficitur.

11.

Sed nullum horum de εὐδαιμονίας essentia recte sentit. Primus enim



us enim ut infimum corporis bonum, cuius usura & bestia fruuntur, amat. Vnde & recte Aristoteles inquit, quod βουνημάτων βίον, pecudum vitam, ceteris omnibus anteponat. Longe igitur errat, cum ἀβρώπιον ἀγαθόν quæramus.

12.

Nec posteriora duo illi satisfaciunt. Nam tale sit bonum oportet, quod propter se & non propter aliud existit, deinde quod omnino absolutum & perfectum est. At honor & diuitiæ aliorum gratia expetuntur & facile eripi possunt. Non ergo illorum ratio hic habenda est.

13.

Et quid de Platonis Idea dicamus. Certo certius est (ut Platonis mentem Aristoteles nobis explicat) nec illum hic audiendum esse, si bonum definiat, quod sit exemplar omnium rerum à mente hominum abstractarum.

14.

Talis boni definitio nunquam vera extrui poterit, quare de eius cognitione nec quisquam gloriabitur. Quis enim adeo ἀλογος est qui omnium rerum formas (ut disparata) in unam definitionem detrudere conaretur. Nonne cursus ipsius nature inuertere videretur, quæ à confusione disparatarum longè abhorret.

15.

Ast posito non tamen concessio. Detur talis Idea. Hæc tamen, quoniam in actionem cadere non potest, neque ab homine comparari (cum à mente hominis sit quid seiunctum & per se existens) à nobis ferri minimè potest.

16.

Inuestigamus igitur veri summi boni naturam, quod commodè fieri poterit, si animæ facultates, illarumque officia ante oculos proponamus. Nam cum de hominis proprio bono laboramus, non simpliciter animalis, penes illam animæ potentiam, quæ homini nobilissima & propriissima est, summum illud ἀγαθόν repositum esse, vero verius erit.

17.

Quantum vero ad intellectum huius loci sufficit, sciendum unam & simplicem esse animæ essentiam tribus facultatibus seu

A 3

potentijs,



potentijs, quas vocant, ratione diuersa<sup>lib</sup> in operationum non separata sed distinctam. Ha sunt vegetans, sentiens & intelligens.

18.

Vegetantis anima officia non solū animalibus sed & plantis, (Nam secundum Aristotelem, secus iuxta Platonem, à vita vegetante planta animalia non dicuntur) competunt. Viuunt enim & planta, augentur, & generant, ut & bruta & intellectualia animantia. Ergo huius anima *εγγορα* beatitudo dici nequit, hominis enim proprium bonum inquirimus.

19.

Nec sentiens homini solummodo tantum data est, sed ipsa quoque homini communis est cum equo & boue. Vident .n. audiunt & c. bestia. Nec sensibus interioribus omnino destituta illa sunt, sed in illis isti apparent, quanquam minuti admodū imperfecti & tanquam imagines. Quare nec huius *εγγορα* hic locum merebitur.

20.

Tertia sequitur anima facultas rationalis, quae non reliquis animantibus communis est. Nam homo ut animal (quod sensu & vita praeditum est) à bestijs & stirpibus nihil discrepat, quatenus autem ratione fulget, quam à sua forma communicatam habet, peculiaris animalis species efficitur, sine dubio igitur summū bonum huius partus erit.

21.

Cum autem huius vis duplex quoque consideretur, una θεωρητική seu cōtemplationis, quā res sola mente sine corporis adminiculo peragat, altera πρακτική, actionis, non silentio premendum, hanc, quia in functione muneris consistit, ponendā hic esse, cum potior altera videatur. *Forma nō ē in γεννη<sup>22</sup> ποσει.* *1. 1. c. 13. Hic.*

*Concludamus igitur εὐδαιμονίαν esse animae rationalis εγγορα, virtutis habitu munitam* (Idipsum verba apud Aristotelem κατ' ἀρετήν ἢ δὲ ἀρετῆς αἰ δέεται κτ' τὴν ἀρίστην ἢ τελειότητα volunt) *εἰς τὴν ἀρετήν.*

23.

Cenū posita definitionis & veterum schola confirmant, dum tria genera bonorū, alia externa, alia corporis alia animi docent, ac imprimis & maxime propria bona animi dicunt, quorū aliquod & quidam optimum hic nobis adsciscimus, Nec



rp 24.

Nec non multi alij ex veterib9 nobis quodammodo arrident,  
qui virtutem, voluptatē, summi boni formam representare aiunt.

25.

Cum ijs qui vitam beatam virtutē esse dicunt, congruit no-  
stra mens, si tamen eam non tantum in possessione, sed et in usu esse  
positam putent. Nam is beatus non habetur, qui virtutem possidet,  
et non virtutum exercitia colit. Quemadmodum idem accidit in  
ludis olympiacis in quibus non pulcherrimus aut valentissimus  
quisq; coronā donatur: sed illi solum qui certant & victoriam  
consequuntur.

26.

Nec omni ex parte illi errant, qui voluptatem summo bono  
implicant. Etsi n. non illius forma est, adiunctum tamen istius  
propriū se iactitat: quem in modum rectē etiam Aristoteles dicit,  
habet in se inclusam voluptatē beatitas. Quippe quid honestatis  
studiosis iucundius aduenit, quam illud solum quod ex virtute a-  
gatur.

27.

Ultima definitionis verba: ἐν βίῳ τελείῳ difficultate aliquā  
laborare videntur. Quæstio n. non inutilis sese offert: An in defi-  
nitione ista verba iure locum sibi vendicent, cum aliās definitio  
summi boni his omis̄is integra et perfectā haberi possit, ut pote ex  
genere & formā composita.

28.

Hæc autem (ut quibusdam placet) tria significant, Primo.  
Vita beata constantiam, ut non obscure ostendunt ista verba, una  
hirundo non facit ver; sed dicat quis hæc ipsa latere in præce-  
dentibus definitionis verbis. Quidenim aliud est habitu valere,  
quam se constantem præbere?

29.

Secundo. Vita prospera diuturnitatem. Huius glossæ sensum  
oratoris calamo Cicero delet, egregiè enim evincit, quod virtus  
seipsa contenta sit, & non externis bonis indigeat ad suæ essentia  
perfectiōnem.

30.

Tertio. Vitam perfectam ista verba desiderant, quam ob rem  
iuvenes ab Ethicis lectionibus arcet Aristoteles. Sed & hoc Cicero  
taxat, qui filio suo officia dedicās his utitur verbis: Ab eo exordiri  
volui maximè, quod & ætati tuæ aptissimum est. Ac-



31. <sup>31.</sup>  
Accedunt etiam alij multi, qui suadent istam Aristotelis sen-  
tentiam non simpliciter accipiendam esse, sed potius distinctionem  
adhibendam inter incontinentes incurabiles & sanabiles. Illos  
quidem non esse fructuosos Ethices auditores; hos autem posse.

32.  
Et tantū de definitione εὐδαιμονίας, ad cuius vberiore ex-  
planationem quaestiones post aliquot mouentur. Prima. An Deus  
sit proxima causa istius, quod negatur ab Aristotele; qui tamē re-  
motam Deum esse non abnuit.

33.  
Proxima sunt doctrina vel studia humana, quibus beatitas  
acquiritur, non fortuna. Nam rem insuper maximam & pulcher-  
rimam arbitrio fortunæ permittere minus est necessarium ac in-  
super flagitiosum.

34.  
Quod ad alias quaestiones, an scilicet aliquis sit beatus appel-  
landus dum viuit, item, an vitiorum casus pertineant ad mortuos  
illa ex precedentibus sine vllō adminiculo sese explicant.

35.  
De Beatitudine igitur hac dixisse sufficiant, de eius forma,  
nimirum virtute prolixius, Deo dante, paulo post agemus. Hic ta-  
men non sine causa eius divisionis meminisse volumus.

### Pro Coronide quaerimus.

I.  
An Ethica Iurisprudentia mater sit?

II.  
An rectè lib. 1. cap. vlt. Eth. ad Nicomach. Arist. virtutes  
in ἀρετῶν τε καὶ ἠθικῶν diuidat?





99 3 254

ULB Halle

3

002 039 672



Nur für den Lesesaal












B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



ASSERTIONES.

De

BEATITVDI  
NE POLITICA,

*ad quas*

Sub præsidio.

M. EMANVELIS  
SCHREIBERI SPROTT.

Siles.

*Respondebit publice in illustri Vitebergensi  
um Academia.*

ANDREAS MAYERVS

VIRVNENSIS.

*Fiet disputa:io in Collegio novo die 26. Octob:*



WITEBERGÆ

Ex Officina Cratoniana. 18. Octob. 1593.